



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. III. Divina decreta esse ex se & ab intrinseco efficacia, probatur ex  
verbis Apostoli 1. ad Corinth. 4. Quis enim te discernit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](#)

*noli velle judicare, si non vis errare. Et de spiritu & littera cap. 33. Si quis me interroget: cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non (id est quare uni detur vocatio efficax, non vero alteri) duo solum occurunt quae respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! Et nunquid iniq[ue]itas apud Deum? Cui hac responsio non placet, querat Augustino doctores, sed caveat ne inventiat presumptores. Et alibi ait, Cur illum adjuvet, illum non adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum, illum isto, istum illo modo: penes ipsum est, & aequitatis tam secreta ratio, & excellentia potestatis.*

*Idem docet D. Thomas 3. contra Gentes cap. 161. dicens: Quare Deus hominum qui in peccatis detinentur, hos quidem preveniens convertat, illos autem sustineat, sive permittat secundum ordinem rerum procedere, non est ratio inquirenda: hoc enim ex simplici ejus voluntate dependet. Et exemplum affert de rebus naturalibus, quae diversæ processerunt à Deo, juxta ordinem sua sapientiae, rectè omnia disponentis.*

**35.** Ex hac ergo doctrina, & testimoniiis Sanctorum Patrum, efficax & evidens sumitur argumentum, ad divinorum decretorum efficaciam demonstrandam, & ad rejicienda decreta indifferenta & Molinistica. Si enim Deus circa nos actus liberos haberet decretum purè indifferens, & moraliter tantum excitans, ac expectans determinationem & consensum liberi arbitrij, illud determinantis ad speciem actus, facilis esset solutio illius questionis, quam Sancti Patres dicunt esse omnino indissolubilem, & humano intellectui impenetrabilem; inò nulla ferè esset questione, vel difficultas solvenda. Inquirent enim cur Deus unum trahat, & aliud non trahat? Cur uni detur vocatio efficax, non vero alteri? Facile responderi posset (sicut & ipsi Adversarij respondent) quia unus vult consentire divinae vocacioni, non vero aliud. Quia unus per liberum arbitrium, divini decreti, & gratiae ex illo promanantis indifferantiam, ad actum talis speciei determinat, non vero alter. Sicut inquirent, cur Sol D cum fucinea producat fucus, & cum olea olivas? facile responderet, quia concursus Solis ex se indifferens & indeterminatus, modiscatur in causis inferioribus in quibus recipitur, & ad hos potius quam illos effectus producendos determinatur.

**36.** Porro hanc responsonem & doctrinam varii in locis rejicit Augustinus, & illam in Pelagianis deridet, ac sugillat. Nam Epist. 105. *Quis*, inquit, *istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversariis objecta questione, non id potius tam breve, tam aperium, tam sicut isti (scilicet Pelagiani) putant, verum absolutumque respondit. Hic erat locus dicendi quod isti sentiunt: non autem hoc dicit Apostolus. Et libro 2. operis perfecti, ponderans haec verba Apostoli: Deus cuius vult miseretur. Et ista, Homo tu quis es qui respondeas Deo? alloquens Pelagianos, sic ait: Non ita cerè debuerat Apostolus loqui, si hoc vellet dicere quod vos dicitis. Et in Enchir. cap. 99. eadem verba Apostoli expedit, sic habet: Hoc loco quidam stulti putant Apostolum in responseone defecisse, & inopiam reddenda rationis repressisse contradictionis audaciam: sed magnum habet pondus quod dictum est: homo tu quis es? Et in talibus questionibus, ad sua capacitatibus considerationem revocat hominem, verbo quidem breve, sed re ipsa magna est redditio rationis. Demum serm. 7.*

A de verbis Apostoli cap. 4. *Multi (inquit) de isto profundo querentes reddere rationem, in fabulas vanitatis abierunt.*

Cum igitur in doctrina SS. Augustini & Properi, profunditas hujus questionis, *Cur Deus unum trahat, & aliud non trahat? Cur vocatio Dei in uno sit efficax, non vero in alio?* non solvatur per humani arbitrij velle vel nolle; in sententia Molinæ, & aliorum qui decreta indifferenta, & determinationem humani arbitrij expectantia in Deo fingunt, per humani arbitrij velle vel nolle facile solvitur. Unde merito ad Molinam verba illa Bernardi dirigere possumus: *Quid ergo tu? Quid melius affer? Quid subtilius invenis? Quid secretius tibi revelatum ja- 190. das, quod preterierit Sanctos, effugeris sapientes.*

### §. III.

*Divina decreta esse ex se & ab intrinseco efficacia, probatur ex verbis Apostoli 1. ad Corint. 4. Quis enim te discernit?*

**H**oc etiam argumento sèpè utuntur SS. Patres Augustinus & Prosper contra Pelagianos & Semipelagianos, potestque sub hac forma breviter proponi. Divinum decretum debet esse ratio discernendi consentientem à non consentiente: At si illud non sit ab intrinseco efficax, & prædeterminans voluntatem; sed purè indifferens, & à voluntate humana, ad speciem actus determinabile, non potest hoc præstare, sed ad voluntatem creatam reducetur discrimen; ac proinde unus homo poterit inflari & gloriari adversus alterum: contra illud Apostoli 1. ad Corint. 4. *Ne supra quod scriptum est, unus contra alterum infletur pre alio: quis enim te discernit? quid habes quod non acceperisti? si autem acceperisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ergo decreta Dei sunt de se & ab intrinseco efficacia. Sequela Majoris probatur. Discrimen effectus, non ad id in quo causa conveniunt, sed ad id in quo discriminantur, debet reduci. Sicut quia duo individua eiusdem speciei convenient in ratione specifica, & duas species in gradu generico, non possunt inter se distingui, vel differni, per rationem illam communem specificam vel genericam: Sed consentiens & non consentiens convenient in decreto, si illud prout est à Deo sit purè indifferens, & differunt solum penes consensem & dissensem liberi arbitrij, indifferantiam & potentialitatem talis decreti, ad actus diversæ speciei determinantis: Ergo non in divinum decretum, sed in liberum arbitrium reducetur discretio, seu discrimen consentientis à non consentiente.

E Confirmatur primò: Ab eo oritur discretio, 39. à qua oritur determinatio actus quantum ad speciem: Atqui determinatio actus quantum ad speciem, non oritur à decreto, si illud sit indifferens; sed à libero arbitrio illud determinante: Ergo non in decretum divinum, sed in liberum arbitrium reducetur discretio consentientis à non consentiente.

Confirmatur secundò: Ut divinum decretum sit ab æternō ratio discernēdi consentientem à non consentiente, debet ex illo in tempore promanare, seu ab illo præparari aliqua gratia, qua sit causa & principium talis discretionis, seu discriminis: Sed ex decreto purè indifferenti, nulla derivatur vel præparatur gratia, qua sit causa talis discretionis: Ergo illud non potest esse ratio

discernendi consentientem à non consentiente, sed tale discrimen ad voluntatem creatam reduci debet. Major patet, Minor autem, in qua est difficultas, probatur. Decreum illud indifferens præparat solum gratiam coëfficientia, & gratiam moraliter excitantem: Sed neque gratia moraliter excitans, neque gratia coëfficientia possunt esse ratio discernendi consentientem à non consentiente: Ergo ex decreto pure indifferenti nulla derivatur vel præparatur gratia, quæ sit ratio discernendi consentientem à non consentiente. Major sunitur ex principiis Adversiorum, Minor vero, quantum ad utramque partem, probatur. Et in primis quod talis discretio non possit peti à gratia moraliter excitante, videatur manifestum, nam juxta principia Molinae, Lessij, & aliorum Recentiorum, gratia moraliter excitans, interdum est æqualis, imo & major, & vivacior, ac vehementior in eo qui non consentit, & non convertitur, quam in eo qui consentit & convertitur: unde cum discrimen effectus non possit peti ab eo in quo causa conveniunt, ut supra dicebamus, evidens est, juxta illorum principia, quod discrimen seu discretio consentientis à non consentiente, non potest reduci in ipsam gratiam moraliter excitantem.

Quod etiam non possit peti à gratia coëfficiente, seu à concursu simultaneo ordinis supernaturalis, videatur adhuc manifestius. Tum quia concursus ille indifferens est, ac indifferenti modo oblatus voluntati, & ab illa quantum ad speciem actus determinabilis: à principio autem indifferens, ut indifferens est, non potest oriri discrimen. Sicut à ratione generica, quia indifferens est, & potentialis, non potest sumi distinctione specierum, ut supra arguebamus. Tam etiam quia discretio qua sit in actu secundo, supponit discretionem in actu primo; nam quidquid est in actu secundo, derivatur a primo: Sed concursus simultaneus pertinet ad actu secundum, & non ad primum: est enim ipsa actio cause secundæ, prout est à Deo simul operante: Ergo præsupponit & non facit discretionem consentientis à non consentiente.

4. Hoc argumento non parum torquentur Adversarij: unde ut ab illo se expediant, in omnibus se vertunt. In primis aliqui respondent, discretionem consentientis à non consentiente, procedere à libero arbitrio, non nudè & solitariè sumpto, ut dicebant Pelagiani & Semipelagiani, sed ab illo ut divinâ gratiâ informato, & prout illi subest, ac subjicitur, eique associatur. Secundò alii dicunt, talem discretionem esse partim à gratia, & partim à libero arbitrio: sicut eadem tractio navis vel currus, partim est ab uno homine vel equo, & partim ab alio. Alij tandem reducunt talem differentiationem & discretionem ad gratiam congruam, quæ licet in esse physico, & in ratione entis, sit æqualis in consentiente & non consentiente, est tamen major in esse moris & in ratione beneficij in eo qui convertitur & consentit, quatenus ei datur in illis occasionibus & circumstantiis in quibus Deus per scientiam medium præscivit illum consensurum, non vero alteri.

42. Verum hæc omnia frivola sunt, & facile conatur possunt ex dictis. In primis enim liberum arbitrium solitariè sumptum, erit causa discretionis consentientis à non consentiente, si illa nullo modo procedat à gratia: Sed, ut iam ostendimus, talis discretio, juxta principia Adversa-

A riorum, nullo modo potest procedere à gratia: quero enim à quâ? Non à gratia moraliter excitante, cùm illa interdum sit eadem vel æqualis in utroque, ut facentur Adversarij. Nec à gratia coëfficiente, seu concursu simultaneo ordinis supernaturalis, cùm ille sit indifferens, & à voluntate humana quantum ad speciem actus determinabilis, ut illi docent: Ergo juxta illorum principia, talis discretio nullo modo potest esse à gratia, sed à solo libero arbitrio.

Confirmatur, & magis urgetur vis hujus rationis, hoc exemplo. Quia albedo in manu non est causa aut principium caloris vel frigoris, esset omnino absurdum & impertinens assertere, calorem vel frigus non procedere quidem à manu nude & solitariè sumpta, sed à manu ut affecta albedine, & illa informata: Ergo similiter cùm in sententia Adversiorum, nulla possit assignari gratia, quæ sit causa & principium discretionis consentientis à non consentiente, ut jam ostendimus, perinde omnino est, juxta illorum principia, dicere quod talis discretio sit à solo libero arbitrio, ac assertere eam esse à libero arbitrio, ut gratiâ informato, & prout illi subest.

Addo quod Semipelagiani (ut alibi ostendimus) non negabant talem discretionem esse à libero arbitrio sub ipso gratiæ adjutorio constituto, sed tantum eam procedere ab ipso gratiæ auxilio: dicebant enim (referente D. Prospero in fine Epistole ad Augustinum) *Quod ob hoc Deus alios vasa honoris, alios vasa contumelie fecerit, quia finem uniuscujusque previderit, & sub ipsa GRATIÆ ADJUTORIO, in qua futurus esset voluntate & actione prescierit.*

Secunda etiam responsum, quæ reducit discretionem consentientis à non consentiente, partim in gratiam, & partim in liberum arbitrium, multipliciter impugnatur à nostris Thomistis.

Primo, quia idem dicebat Faustus Semipelagianorum Coryphaeus, ut constat ex libris quos scripsit de gratia & libero arbitrio, qui ab Hornefra Papa, tanquam heretici, & Pelagianam doctrinam continentis, proscripti sunt, ut refert Baronius Tomo 6. paginâ 343. Nam libro i. cap. 17. Faustus sic loquitur: *Cum inter hec unus totum labori, alter totum gratiæ judicet deputandum, impletus in utroque Græca sententia; nimietates & inequalities sunt similis improbitas, & par esse probatur impietas, si totum soli gratia, vel si totum soli adscribatur labori &c.*

Secondo, Hæc responso apertissimè contradicit Augustino. Nam ille de dono persever. cap. 13. docet in opere nostra salutis totum esse tribendum Deo: quia licet nos velimus & operemur, Deus ipsum velle & operari operatur in nobis. *Nos, inquit, volumus, sed Deus in nobis operatur & velle. Nos operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate.* Hoc nobis expedit & credere, & dicere: *hoc est pium, hoc est verum, ut si humili & submissa confessio, et detur totum Deo.* Et cap. 6. *Tutiores vivimus, si totum deum Deo: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committamus.*

Tertio, Hæc responso supponit actus supernaturales procedere partim à gratia, & partim à libero arbitrio: eo ferè modo quo eadem tractio navis, partim est ab uno homine, & partim ab alio, hoc enim exemplo utitur Molina: Sed hoc expressè rejicitur à D. Thoma i. contra Gentes cap. 70. ubi ait: *Non sic idem effectus causa naturali & divina virtuti attribuitur: quasi partim à*

*Tom. I.*

K K ii

## DISPUTATIO QVINTA

446

**D**eo, & partim à naturali agente fiat, sed totus attribuietur instrumento, & principali agenti etiam totus. Et Opusculo 1. cap. 23, explesè negat Deum concurrere cum creatura ad operandum, eo modo quo duo homines vel equi concurrunt ad tractionem ejusdem navis vel currus. Idem docet D. Bonaventura in 2. dist. 34. quæst. 1. ad 5. his verbis: *Non est sic intelligendum quod Deus cooperetur libero arbitrio, scit cum duo ferunt lapidem, unus cooperatur alteri, sed quia Deus est intimus agens in omni actione, & intimus est ipsi potentia operanti, ita quod potentia ipsa in nihil exit quod non sit ab ipso.*

**47.** Quartò. Hac responso impugnati potest argumento desumpto ex verbis Apostoli: *Non est volentis, neque currentis, sed miseren̄tis Dei.* Si enim discretionis consentientis à non consentiente, sit partim à Deo, & partim ab homine: ita ut si-  
cuit liberum arbitrium non potest operari nisi  
Deo cooperante: sic nec Deus possit aliquid ve-  
le operari circa nos tuos actus liberos, nisi sup-  
ponat vel expectet consensum & determinationem  
libero arbitrii. Sicut Apostolus dicit, quod  
*non volentis, neque currentis, sed miseren̄tis est Dei:* ita ex adverso dici poterit, quod non est  
miseren̄tis Dei, sed volentis & currentis homini-  
nis, ut egregie discurrat Augustinus in Enchir.  
cap. 32. *Si propterea (inquit) dictum est, non vo-  
lentis, neque currentis, sed miseren̄tis est Dei,  
quia ex utroque fit: id est ex voluntate hominis,  
& misericordia Dei: ut sic dictum accipiamus,  
non volentis, neque currentis, sed miseren̄tis est Dei: tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas  
hominis, si non sit etiam misericordia Dei: non  
ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam  
voluntas hominis. Ac per hoc si recte dictum est,  
non volentis hominis, sed miseren̄tis est Dei, quia  
id voluntas hominis sola non implet: cur non & è  
contrario recte dicatur, non miseren̄tis est Dei, sed  
volentis hominis, quia id misericordia Dei sola  
non implet? Porro si nullus Christianus dicere au-  
debit, non miseren̄tis est Dei, sed volentis homini-  
nis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat ut  
propterea recte dictum intelligatur, non volentis,  
neque currentis, sed miseren̄tis est Dei, vt TO-  
TVM DEO DETVR, qui hominis voluntatem bo-  
nam, & preparat adiuvandam, & adjuvat pre-  
paratam. Similia habet lib. 1. ad Simplicianum  
quæst. 2.*

**48.** Quintò. Si liberum arbitrium ex propriis par-  
tialiter se discernat, habebit aliquid ex se, saltem  
partialiter, de quo poterit gloriari, & inflari ad-  
versus alium: quod reprehendit D. Paulus su-  
prā relatus, & S. Augustinus de prædefinitione  
SS. cap. 2. ubi deplorans superbiam humanæ vo-  
luntatis in Pelagianis & Semipelagianis, qui se  
cum Deo comparantes, in opere salutis priores  
se faciebant, sic ait: *Volens à seipso sibi esse quod  
redit, quasi componit cum Deo, ut pacem fidei  
sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod  
est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat il-  
li, & in eo quod dicit esse amborum, priorem se fa-  
cit, posteriorem Deum.* Et cap. sequenti subdit:  
*Non sic pius atque humilis doctor ille sapiebat,*  
Cyprianum Beatissimum loquor, qui dixit in nullo  
gloriandum, quando nostrum nihil sit. *Quod ut*  
ostenderet, adhibuit Apostolum testimoniū dicentem:  
*Quid habes quod non acceperisti? Si autem accepi-  
sti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

**49.** Denique demonstrari potest argumento de-  
sumpto ex principiis Adversariorum, discretio-

**A**nem consentientis à non consentiente, non pos-  
se oriri, etiam partialiter, à gratia coëfficientiæ:  
quia ut talis gratia determinat influat in nostros  
actus, supponit determinationem liberi arbitrij,  
purificantis, & determinantis ad speciem actus,  
decretem illud indifferens & conditionatum,  
quod in Deo singunt Adversarij: Ergo gratia  
coëfficientiæ non facit, sed supponit discretionis  
nem consentientis à non consentiente. Ante-  
dens constat ex principiis Adversariorum: Con-  
sequencia vero probatur. Consentiens discernit  
à non consentiente, per determinationem li-  
beri arbitrij: Ergo si gratia coëfficientia talem  
determinationem nullo modo faciat, sed illam  
supponat: evidens est discretionem consentien-  
tis à non consentiente, non posse, etiam parti-  
aliter, in gratia coëfficientiæ refundi, nec ab il-  
la oriri, sed solùm à libero arbitrio.

Dices cum Recentioribus: Si liberum arbit-  
rium ex propriis non se discerneret, saltem parti-  
aliter, sequeretur quod nihil omnino ageret, &  
divina gratia non cooperaretur, sed se haberet  
merē passivę, & ut inanime quoddam, efférque  
potius vehiculum gratiae in ipso agentis, sicut  
aqua est vehiculum caloris, quam ejus concausa  
& conprincipium: Consequens est erroneum,  
& contra definitionem Tridentini sess. 6. can. 5.  
Ergo &c.

Sed negatur sequela: Nam licet liberum arbit-  
rium nudè sumptum, vel solā gratiā moraliter  
excitante præventum, non se moveat, nec se de-  
terminet, nec Deo moventi cooperetur; illud tam-  
en motum & applicatum à gratia efficaci, se  
moveat, & se determinat tanquam secundum li-  
berum, & secundum determinans, Deoque mo-  
venti activè cooperatur: ut egregie explicat D.  
Augustinus Epist. 107. ubi ait: *Vi in Deum cre-  
damus & pię vivamus, non volentis neque cur-  
rentis, sed miseren̄tis est Dei: non quia velle non  
debemus & curre, sed quia ipse in nobis, & ve-  
lle operatur, & curre.* Unde ut omnis tollatur  
æquivocatio, & Adversariorum hallucinatio de-  
tegatur.

Diligenter observandum est, determinatione-  
nem & consensum voluntatis humanæ, posse si-  
mul & semel procedere à Deo & à voluntate ho-  
minis, tanquam à duabus causis totalibus diver-  
si ordinis, essentialiter inter se subordinatis. A  
Deo quidem, ut à primo libero, primoque mo-  
vente, & determinante; & à voluntate humana,  
ut à secundo libero, & secundo determinante;  
eodem fere modo quo eadem generatio plante  
procedit à Sole, ut à causa universalis, & primo  
alterante & generante; & à terra, ut à secundo  
generante, & causa inferiori, ei subordinata.  
Unde sicut si quis inferret, quod terra nullo mo-  
do activè influit in generationem plantarum, vel  
productionem fructuum, sed merē passivę se ha-  
bet, eō quod non generet plantas, nec producat  
fructus, nisi ut mota & fecunda data virtute Solis,  
inepte omnino argueret. Ita similiter inepti-  
ssima & absurdissima est cogitatio, & argumen-  
tatio illorum Recentiorum, qui ex eo quod vo-  
luntas nostra non se determinet, nec libere con-  
sentiar divina vocatio, nisi ut mota & appli-  
cata à Deo per gratiam efficacem, inferret illam  
merē passivę se habere, & Deo activè non co-  
operari ad actus supernaturales eliciendos: quod  
ut magis declaretur, & radix deceptionis dete-  
gatur.

Rursus observandum est, duplēm à Thomi-

50

51

52

# DE EFFICACIA VOLVNTATIS DEI.

447

tmistis in voluntate creata distingui determinacionem : unam causalem, & alteram formalem. Prima est ipsa Dei motio , applicans voluntatem ad se liberè determinandum. Secunda est ipsa voluntas , seu actus liber , que voluntas à Deo mota & applicata , se formaliter determinat. Prima est solum libera ut quæ voluntati creatæ , quia datur à Deo ad liberè agendum , & ad solvendam nostram libertatem suspensionem & indeterminationem. Secunda vero est libera ut quod , quia liberè , vitaliter , & activè procedit à voluntate creata , tanquam à secundo libero se determinante sub indifferenti judicio rationis , & sub motione , ac determinatione primi liber , primi que determinantis , à quo participat totam suam libertatem & contingentiam , ut suprà ostendimus. Prima determinatio a solo Deo activè procedit , & in voluntate creata recipitur. Secunda vero causatur à Deo , & à voluntate creata , tanquam à duabus causis totalibus diversi ordinis , eoque ferè modo quo eadem plantæ generatio à Sole & à terra procedit. Unde quamvis voluntas creata in ordine ad primam determinationem se habeat mere passivè , non tamen in ordine ad secundam. Ut enim ait D. Gregorius lib. 2. Mortalium cap. 11. *Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis , ut subsequente quoque liberò arbitrio , quodjam appetimus agat nobiscum.*

53. Denique ultima responsio , que discretionem consentientis à non consentiente , ad gratiam congruam refert , fusè impugnatur à nostris Thomistis in Tractatu de Auxiliis , & potest hic breviter confutari. Primò quia cùm discretio illa sit supernaturalis , & predeterminationis effectus , debet reduci in aliquid supernaturale , non vero in aliquid purè naturale. Unde cùm circunstancia temporis & loci , & complexio , genium , vel temperamentum hominis , ex quibus in sententia Suaris & Vazquis defumitur congruitas gratiae , sint ordinis naturalis , ad illas non potest referri discretio consentientis à non consentiente.

54. Secundò , Ille qui consentit internæ vocationi , & justificatur , est inæqualis in actu secundo alteri qui non consentit , nec justificatur , eique superius , non solum moraliter , sed etiam physicè ; cùm sit ornatus gratia sanctificante , quæ caret alter : Ergo etiam debet illi esse superior in gratia præveniente , non solum moraliter , & in ratione beneficij ; sed etiam physicè , & in esse entis considerata. Antecedens patet , Consequentia vero probatur. Cùm enim omnis actus secundus supponat primum , & ab illo procedat , omnis inæqualitas & discretio quæ reperitur in actu secundo , debet supponere inæqualitatem & discretionem ex parte actus primi , & ab illa derivari , ut suprà arguebamus : Ergo si ille qui consentit internæ vocationi , sit inæqualis alteri qui non consentit , non solum moraliter , sed etiam physicè , debet etiam illi esse superior in gratia actuali , non solum moraliter , sed etiam physicè considerata.

55. Tertiò , Ab eodem principio sumitur discretio consentientis à non consentiente , à quo oritur efficacia divinae gratiae : Sed efficacia divinae gratiae non oritur ex eo quod detur tempore congruo , & in illis occasionibus & circumstantiis in quibus Deus per scientiam mediā prævidit hominem operaturum : Ergo nec discretio consentientis à non consentiente. Major patet , Minor probatur argumento quo utitur Cardinalis To-

A letus annō. 54. in Lucam cap. 5. desumpto ex illo Apostoli ad Galat. 1. *Cum placuit ei qui me segregavit ex utero matris mee , & vocavit per gratiam suam &c.* Quo loco Apostolus dicit gratiam efficacem ad conversionem fuisse ipsi concessam , non ex eo quod data fuerit congruo tempore , sed ex eo quod Deus eam dederit , *cum placuit ipsi.* Unde D. Augustinus libro de predeterminatione Sanctorum cap. 2. ponderat Paulum fuisse convertitus tunc quando spirans minarum & cædis in discipulos Christi , intendebat vastare Ecclesiam: *Aversus quippe à fide quam vastabat (inquit) ei que vehementer adversus , repente est ad illam gratiam posteriori conuersus.* Idemque ponderat Toleatus loco citato de aliis Apostolis , præsertim de Petro & Andrea , quos Christus convertit , non antequam mitterent retia in mare , nec postquam illa extraxerunt , sed dum mitterent. Si etiam Mattheus convertitus est , dum federet ad telonium. Denique in libro de gratia & libero arbitrio cap. 21. observat Augustinus , Deum convertisse cor Regis Aflueri , & cum transtulisse ab indignatione ad lenitatem , quando magis indispositum videbatur , & antequam mulieris poscentis sermonem audisset. Unde in Enchiridio cap. 98. sic concludit : *Quis porro tam impiè despiciat , ut dicat Deum malas hominum voluntates , quas voluerit , quando voluerit , ubi voluerit , in bonum non posse convertere.* Et homil. 23. inter quinquaginta : *Adulter (inquit) non fuit in illa vita tua præterita , plena ignorantia , nondum illuminatus , nondum bonum malum discernens , nondum credens in illum qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus regebat te mihi , servabam te mihi. Ut adulterium committeres , sua fôr defuit : ut sua fôr defecit , ego feci. Locus & tempus defuit : ut hoc defessent , ego feci. Affuit sua fôr , non defuit locus , non defuit tempus : ut non consentires , ego feci. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est , & dimissum vidi nisi mihi debes & tu quod non admisisti. Nullum est enim peccatum quod fecit homo , quod non posset facere alter homo , si defit rector à quo factus est homo. Quibus verbis S. Doctor aperte docet gratiam , temporum & locorum circumstantiis minime esse addictam , sed ei locum & tempus agendi semper adesse , illamque nullis causis naturalibus suspendi aut retardari. Quod etiam disertè declaravit Prosper in carmine de ingratia , his versibus quos Tractatu precedentem retulimus.*

*At vero omnipotens hominē cum gratia salvat ;  
Ip'su suum consummat opus , cui tempus agendi  
Semper adest quæ gesta velit , nec moribus illi  
Fit mora , nec causis anceps suspenderetur ullis.*

E Addo , Ex gratia congrue sequi duo illa inconvenientia quæ recentiores ex gratia per se efficaci & physicè prædeterminante sequi contendunt , nempe exclusionem gratiae sufficientis , & libertatis excidium , ut ostendit P. Martinonus in Anti-Jansenio disp. 27. sect. 3. num. 27. ubi gratiam congruam impugnat ex eo quod videtur repugnare exercitio libertatis , quia necessitat ad consensum : nisi enim necessitaret , incredibile est fore ut semper & infallibiliter voluntas consentiat , ita ut planè in nullo casu dissentiar in tanto numero vocationum & operationum. Maximè vero , cum juxta Authores hujus sententia , certitudo divine prædestinationis facta antecedenter , & omnium prædefinitionum , fundetur in hujusmodi infallibilitate. Ex quo sit , ut quam est impossibile Deum non falli in suis decretis absolutis , tam sit infallibile

56:

*sequi consensum ex tali auxilio antecedenter se habente ad illum. Atqui est impossibile non morari tantum, sed etiam metaphysice & simpliciter, Deum falli. Ergo est quoque metaphysice & simpliciter impossibile, non sequi consensum ex tali auxilio. Ergo illud auxilium inducit necessitatem antecedentem, non moralē tantum, sed metaphysicam & absolutam, adeoque repugnat libertati; quia tollit indifferentiam voluntatis, & potentiam ad oppositum.*

*Gratiam quoque sufficientem de medio tollit, designans pro gratia verè sufficiētē, gratiam planē insufficientem. Quod de moralī insufficientia manifestissimum est, & amplius confirmatur; quia cum tali gratia sola, est moraliter impossibile bene operari. Dicitur enim esse moraliter impossibile id quod adē difficile est, ut nemo illud faciat. Quare sicut prior sententia negat dari auxilium physicē sufficiens: ita hac negat evidenter dari sufficiens moraliter. Quorum utrumque alienum esse mihi videtur à sincera Dei voluntate salvandi omnes homines, & eos pricipū quos per gratiam sanctificantem jam in filios & regni sui heredes adoptavit, minimeque consentire cum supra dictis Scripturæ protestationibus. Quid ultra debui facere vinea mee & non feci? An quia expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? Isaiae 5. Quoties volnī congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluit? Matth. 23. Nunquid enim responderi jure posset agricola, vel domino vinea qui sic loqueretur: Frustra expectasti ut faceret uvas, adhibita tantum eā culturā, cum qua neque unquam illa alia vinea ab orbe condito fructum tulit, neque physicē aut moraliter possibile erat ut ferret; & debebas aliquid ultra facere, ut prudenter & rationabiliter fructum ab illa sperares? An verò etiam convenit tanto desiderio congregandi filios Ierusalem, & affectui tam sollicito, qualis est affectus gallina erga pullos suos, vocare tantum & juvare iis auxiliis, quibus physicē & moraliter impossibile erat eos congregari, nec quisquam hominum ita præventus & vocatus, congregare volenti se adjungeret?*

*Ex quo Patris Martinoni discursu liquet, vel duo illa argumenta ex libertatis lassione, & gratia sufficientis exclusione, desumpta, quibus Adversarij decreta efficacia & prædeterminantia impetrunt, & quæ apud ipsos palmaria sunt, nihil profutus valere; vel si concludant, iis pariter convelli gratiam congruam, quam Suarez, Vazquez, aliqui Recentiores admittunt.*

### ARTICVLVS III.

*Absurdis & inconvenientibus, decreta indifferentia exploduntur.*

*Innumera fēcē sunt absurdā & inconvenientia, quæ sequuntur ex decretis illis indifferentibus, & conditionatis, quæ Molina, Suarez, Lessius, & alij Recentiores fingunt in Deo, quæ imaginationi quidem speciosa sunt, sed rationi prorsus invisa: unde sicut Lessius decreta prædeterminantia Thomistarum ferrea vocat, ita æquo jure decreta indifferentia illorum Recentiorum, vitrea possimus appellare; ut enim verbis Augustini utar: quasi lucent vanitate, sed franguntur veritatem, ut patebit ex dicendis paragraphis sequentibus, ubi graviora quæ ex illis sequuntur absurdā & inconvenientia colligemus.*

*Decretum indifferens subtrahit à Deo rationem causa prime, respectu determinationis libera nostre voluntatis.*

*P*robatur multipliciter. In primis enim, cùm determinatum & indifferens inter se opponantur, sicut frigidum & calidum, album & nigrum: quemadmodum repugnat calidum produci à frigido, album à nigro, & unum contrarium ab alio, ita & determinatum ab indifferenti. Unde dicit Commentator 2. physic. textu 48. à principio indifferenti, ut indifferens est, non exit actus determinatus, nisi ab aliquo determinetur ad unū. Idem docet S. Thomas 3. cōtra Gentes cap. 2.

*Secundō, Nulla causa supponit vel expectat suum effectum, sed potius illum causat & prævenit, prioritate saltem causalitatis & naturæ: Atqui decretum indifferens supponit vel expectat determinationem liberi arbitrij creati, ut determinat in actus nostros influat, sicut docent Adversarij: Ergo illam non causat.*

*Tertiō, Si decretum illud talem determinationem causaret, non esset amplius indifferens, sed determinans, imo & prædeterminans; quia illam prioritatem saltem naturæ antecedet, cùm omnis causa sit prior saltem naturæ suo effectu: Sed hoc repugnat: Ergo implicat contradictionem, liberi arbitrij determinationem à decreto indifferenti causari.*

*Quarto, Nulla causa à suo effectu tanquam à conditione dependet: Sed decretum illud indifferens quod in Deo fingunt Adversarij, & quod Suarez, Lessius, Molina, & alij volunt esse conditionatum, dependet à determinatione liberi arbitrij, tanquam à conditione quam expectat, & per quam purificatur, & transit in absolutum, ut illi docent: Ergo illam non causat.*

*Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Voluntas conditionata nihil causat, nisi purificata conditione: Sed hæc volatio, volo concurrere ad hunc actum, si voluntas Petri consenserit, vel se determinaverit, est conditionata, & dependens à consensu & determinatione Petri, ut à conditione: Ergo nihil potest causare, nisi purificata tali conditione; hoc est supposito consensu, & determinatione voluntatis Petri: Ergo divina voluntas istum consensum & determinationem non causat, sed supponit causatam à voluntate Petri.*

*Confirmatur amplius: Si determinatio libera nostra voluntatis possit intelligi cum fundamento in re, antecedens aliqualiter concursum prima causæ, non dependet ab illo: Sed juxta principia Adversariorum, intelligi potest cum fundamento in re, in aliquo signo rationis, aliqua antecessio determinationis nostræ liberae ad actualem Dei concursum: Ergo in sententia Adversariorum, libera nostra determinatio, ex proprio conceptu, non habet essentialē dependentiam à concursu & cooperatiōne cause primæ. Major constat: dependens enim ut tale, nequit intelligi antecedenter ad id à quo dependet. Minor autem probatur: Juxta principia Adversariorum, consensus seu determinatio voluntatis creatæ, determinat divinum concursum, quantum ad speciem actus: Sed determinans, ut tale, debet præcedere id quod determinatur, saltem prioritatem nature, quia ad illud comparatur ut forma: Ergo si determinatio voluntatis creatæ, decretum & concursum Dei ad speciem actus determinat, illum aliqualiter præcedit,*